

# La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 7

In nomine sancte et individue Trinitatis. Karolus ejusdem omnipotentis Dei misericordia rex. Si petitionibus regni nostri procerum servorumque Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus et ad divine militie in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad instantem vitam temporaliter transigendam et ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Percognitum igitur fore omnimodis cupimus omnibus Xpisti nostrisque fidelibus, presentibus scilicet atque futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri vir quidam specialius venerabilis, germanus quondam predecessoris nostri domni Odonis regis, fidelis noster Rotbertus, gregis eximii confessoris Xpisti beati Martini basiliceque ipsius atque rerum abbas, reverenter exposcens ut res omnes quas olim laudabilis pietas atque sollicitudo priorum principum necnon apostolica cura sanctorum apostolicorum seu etiam predecessorum nostrorum parentum, imperatorum scilicet et regum, per inviolabilia semper precepta, quasque antecessor suus quondam Vivianus, sancti Martini abbas, et postmodum vir venerabilis propinquus noster Hugo, ejusdem sancti Martini abbas, suo nobili obtentu, ob amorem Dei et reverenciam ejusdem beati Martini cujus deffensor erat, cum magno orthodoxo Karolo, avo quondam nostro, eidem sancto Martino et fratribus sue congregationi ac specialiter futuris temporibus serviendum, seclusa omni suorum ditone abbatum, ad eorum speciales usus perpetualiter possidendas obtinuerant, nos easdem et in futuro eidem sancto conferendas, nostris futurisque temporibus sub nostre immunitatis tuicione, consistere, ei ab omni publica functione ac judiciaria exactione per nostre preceptionis seriem immunes liberasque decernere dignemur. Quarum rerum atque villarum nomina hec sunt: Lugogalus scilicet cum ecclesiis et omni integritate suorum appendentium, et res alias ad eandem villam pertinentes, que quondam in beneficiis et precariis date fuerunt, set pietas prefati Rotberti abbatis fratribus reddidit; Brugogalus quoque cum ecclesiis et quibusdam villulis, Pagniaco videlicet et Pruneris, quas eciam prefati abbatis benignitas ipsis restauravit habendas, Portus etiam cum ecclesia et omnibus rebus ad ipsam pertinentibus, Bladalaicus denique cum ecclesia et omnibus suis rebus, Dociacus quoque cum ecclesia et omnibus rebus ad ipsum pertinentibus, Antoniacus quin etiam et Cinciacus, ad eorum vestimenta cum ecclesiis et omnibus rebus sibi pertinentibus; Pseudoforus etiam, que et Sodobria dicitur, cum ecclesiis et omnibus rebus ad ipsam pertinentibus, ex quibus quedam sunt in beneficio date, set easdem per hoc altitudinis nostre preceptum fratribus restaurandas precipimus, et cum aliis insuper rebus quas Garnegaudus vicecomes fratribus dedit cum ecclesiis in honorem sancti Dyonisii et sancti Leobini in eisdem rebus constructis, Medonna cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus rebus, ex quibus quedam sunt in beneficio date, sed prefatus Rotbertus abbas ipsas per hanc nostram preceptionem fratribus restauravit; Curciacus in pago Turonico cum ecclesia et omnibus aliis rebus sibi pertinentibus ac prato in villa Canabas sito atque farinario, pro ipso quondam dato, Vobridius atque Tauriacus, Castanetus et Odatus, atque Catnutius cum ecclesiis et omnibus ipsis pertinentibus rebus; alterum eciam Vobridius et Restiniacus cum capellis et quibusdam rebus subdole quondam sublatis, set benignitate ejusdem Rotberti abbatis eidem Restiniaco restitutus; Novientus, Magittus atque Genostolius, Prisciniacus et Patriciacus; item Vobridius, in pago Cinommanico, et Baina villa, cum ecclesia in villa

Basconna, in pago Aurelianense, quam Hardradus vicecomes fratribus dedit, Liradus etiam cum monasterio et omnibus sibi pertinentibus rebus, Belnacus et ad calciamenta fratrum cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus rebus, pro qua subdole Marciacum villam in pago Arvernensi in concambium fratribus dederunt, Cableya etiam in pago Tornatrensi, cum monasterio ibi constructo, ubi sanctus Martinus quasi peregrinus quievit, cum villa Cumisiaco, Niriaco etiam et Ulcisiaco cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus rebus, Miliciacus etiam predium cum omnibus districtis, sicut temporibus domini Karoli regis distringebantur; Mons insuper villa, in pago Milidunense, cum ecclesiis et omnibus sibi pertinentibus rebus, necnon etiam Saldoa ac Novientus cum Calestria et omnibus rebus sibi pertinentibus, Merlaus etiam, quam piissimus genitor noster Hludovicus rex ad serviendum fratribus, in die sue ad regnum ordinacionis atque deposicionis cum omnibus rebus sibi pertinentibus, Deo et sancto Martino prona mente perpetuo donavit, Martiniacum etiam villam super fluvium Ligeris quam grex beati Martini cum prescripto Roberto ex propriis rebus commutavit, et insuper areas cum Sala que quondam dicebatur maledicta, que modo, propter receptionem sancti Martini, Domus Dei dicitur, intra muros Turonice urbis situs cum muro et posterula, habentes in circuitu a porta Aurelianensi usque ad arenas perticas nonaginta sex, dantes pro ipsis domno Hugoni abbati, ad comitatum, similiter intra ipsam civitatem, perticas nonaginta sex exparte Ligeris, cum ecclesia et muro atque posterula, prebendarum insuper omnium mercedes, quas idem Robertus, eorum piissimus abbas, fratribus perdonaverat et ex quibus a nobis, ut perpetua ditione tenere ipsas potuissent, preceptum eis acquisierat, et pro nostra mercede conjugisque atque prolis et ipsius Roberti communique omnium qui easdem res tota devocione Deo et sancto Martino consulerant eodem Xpisti confessori more regio perpetuo mansuras absque minoracione vel subtractione aliqua, per nostre auctoritatis preceptionem denuo corroboraremus. Et si monasteria in aliquibus predictis rebus pro infestacione paganorum vel malignorum hominum construere eisdem fratribus libuerit aut necesse extiterit, id nostre largitatis munere concederemus absque inquietudine permanendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus canonicorum eorumque famulorum, nec intra nec extra castellum, absque eorum voluntate, manendi licenciam concederemus, etiam si nostra in eorum monasteriis presencia adesse potuerit, sicuti nec aliis predecessoribus nostris regibus id licitum facere fuit. Insuper etiam idem reverendus et admodum amabilis vir Robertus abbas nostre serenitatis familiaritatem humiliter supplicando expeciit ut, sicut jam ipsius petitione in alia nostra preceptione fratribus firmaveramus, ut quicquid intra castellum circa basilicam beati Martini noviter constructum continetur, quicquidque foris in circuitu ipsius castri, ex terris antea ditionis sancti Martini per regum precepta subactis usque in fluvium Ligeris habetur, totum in nostram communem elemosinam, juxta quod prefatum Xpisti antistitem pro nobis cupiebamus semper habere interventorem, per hanc iterum nostram preceptionem in generales usus fratrum semper habenda confirmaremus. Et ut eidem sancto in eodem castro, sicuti priscis temporibus a predecessoribus nostris regibus concessum fore probatur, propriam monetam et percussionem proprii numismatis nostra auctoritate concederemus. Et ut nullus ex eadem ipsorum minister de ipsorum proprio argento monetaticum accipiat et quicquid annuatim exinde exactum fuerit in usibus fratrum conferatur. Et ut res prelibatas omnes et monasteria cum omnibus aliis rebus ipsis pertinentibus, de more regum predecessorum nostrorum, sub nostre immunitatis tuitione ac defensionis munimine recipere dignaremur, precipientes ut in villis prefatis sancti Martini et fratrum rebus que habentur in Austria, Neustria, Burgundia, Acquitania et Francia et in ceteris regni nostri partibus, Xpisto annuente, nullus iudex publicus ad causas iudicario

more audiendas, nec freda aut tributa querere, aut mansiones accipere, aut teloneum exigere, aut fidejussores tollere, aut homines distringere ingredi presumat, set sint ad regendum et ad defendendum in manu abbatum et in prefati gregis decani manu seniorumque et nobilium et fidelium fratrum ad ordinandum. Hujus saluberrime petitioni nobis valde salutifere sibi et omnibus qui easdem res sancto Martino contulerant profuturæ, ob amorem Dei et reverenciam prefati peculiaris patroni nostri domni Martini libenter assensum prebere nobis usquequaque collibuit. Quapropter decernimus atque jubemus ut supradicte res omnes et ville, cum castello et predictis terrulis extra positis atque moneta, mercede imperatorum et regum atque nostra aliorumque Xpisti fidelium ad supplementum seu confugium fratrum permaneant, cum aliis villis hic non nominatim expressis sed ipsis pertinentibus, et jampridem stipendiis fratrum et vestimentis atque calciamentis deputatis cum reliquis sancti Martini facultatibus et abbaciolis atque villis ad proprios usus abbatum suorumque fidelium, exceptis dominicalium rerum nonis et decimis specialiter deputatis, sub nostre defensionis munimine modis omnibus consistant. Super qua re, cum predicti fidelis nostri Roberti carissimi quidem nostri precibus canonici etiam ejusdem sancti Martini, cum consensu ejusdem proprii abbatis, regiam nostram poscebant dignitatem ut, more regio, preceptum magni Karoli, attavi nostri, atque preceptum domni Hludovici serenissimi imperatoris, proavi nostri, atque alterius quidem sapientis Karoli, avi nostri, necnon et genitoris nostri domini Hludovici, piissimi regis, in hac nostre preceptionis pantocarta super eorumdem fratrum rebus pro majori et uberiori firmitate denuo corroborare, more regio, dignemur. Quorum etiam consulentes petitionibus, pro amore omnipotentis Dei, ut diximus, et reverencia domni Martini et amore etiam supradicti abbatis, in nostra communi omnium elemosina, hoc nostro altitudinis preceptum atque auctoritatem fieri jussimus, per quam decrevimus atque precipimus ut, sicut in preceptis et privilegiis tantorum predecessorum principum que pre manibus habebant continentur, ita ab hodierna die in reliquum irrefragabiliter a nobis permaneat statutum cum omnibus villis eorum stipendiis deputatis. Precipientes ergo jubemus et jubendo precipimus ut nullus iudex publicus aut quilibet superioris aut inferioris ordinis rei publice procurator in sancti Martini omnibus rebus, ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut villas, vel reliquas possessiones quas moderno vel priscis temporibus in quibuslibet provinciis aut territoriis regni nostri sancti Martini basilica juste tenet, vel deinceps in jus ipsius divina pietas augere voluerit, ingredi presumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum ex villis, negociis, sicut in preceptis eorum continentur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines, tam ingenuos quam servos, super terram eorum commanentes distringere, nec ulla publicas functiones aut redibiciones vel illicitas occasiones temerarius requirere audeat. Quicquid igitur de predictis rebus, ex quibuslibet districtis, in jus fisci nostri cedendum fuerit et a predecessoribus nostris sancto Martino collatum comperimus, nostre largitatis munere libenter volumus esse per immensum eidem sancto Martino sibi et famulantibus canonicis concessum, remoto toto fisci dominatu, ut ad sustentacionem canonicorum seu pauperum, in nostram elemosinam omniumque prelibatorum et subsequencium Xpisti fidelium, sit supplementum. Volumus etiam atque precipimus ut, sicut in preceptis eorumdem fratrum et privilegiis continentur, omnes illis debite refectiones ex cellis sancto Martino subjectis et villis in beneficium datis, id est sancte Marie que dicitur ad Scriniolum et sancti Andree et sancte Columbe et sancti Marciali, sancti Chiriaci et sancti Johannis et sancti Pauli Cormeriacensis et Popoleni monasterii, et ville Arrestiaci, et omnibus quoquo sitis aliis cellis, census etiam ex omnibus precariis fratribus integerrime reddantur et ministrentur et manselli qui sunt ad Berbizelos,

cum prato ad Bellum montem, pascuis ad pontem Caris instituta fratribus officia compleant. Decime quoque dominicalium rerum ex omnibus his rebus et ex omni abbacia sancti Martini hospitali nobilium atque pauperum reddantur, none vero similiter ex predictis omnibus rebus de dominicatis frugibus et ex omni sancti Martini abbacia, ut semper recognoscatur quia illa terra sancti Martini est in generales usus sancti Martini canonicorum, integerrime reddantur et ministrentur sine ulla diminucione, sicuti privilegia sanctorum Romanorum apostolicorum confirmant atque testantur. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam ut hujus nostre auctoritatis et altitudinis preceptum in aliquo violare presumpserit, quemadmodum in ceteris regum et imperatorum antecessorum parentum nostrorum preceptionibus continetur, non solum in offensam nostram successorum[que] regum nostrorum se noverit adusque lapsurum, verum etiam DC. solidorum auri ad purum excocti se noverit pena multandum, ex quo duas partes ecclesia ad proprios usus canonicorum, terciam vero proprius abbas eorum recipiat. Si vero de predictis rebus per tepiditatem et negligentiam ipsorum abbatum aut ministrorum seu etiam per presumptionem iudicum cupiditatemve malorum hominum aliquid injuste abstractum est, id per hanc regiam nostram auctoritatem ad integrum restaurandum precipimus, corroborantes hanc denuo pancartam super omnibus ejusdem sancti Martini rebus, pro munimine omnium cartarum que aut incendio Nortmannorum, ut fratres asseverant, vel quolibet modo aduste vel neglecte, aut nimia vetustate perditae sunt. Et ut hujus nostre preceptionis auctoritas inviolabilem semper obtineat effectum et a successoribus nostris regibus a nobis facta cercius credatur et inviolabiliter observetur, manu nostra propria eam signavimus et anuli nostri impressione signari jussimus. Set pro tanto a vobis fratribus beneficio expetimus ut nostri memoriam, in die quo ad regni fastigium ordinati fuimus, qui evenit V. kalendas februarii, id est natale sancte Agnetis virginis, coram sancti Martini sepulcro, in eorum sacris oracionibus habeant, et hanc, cum acciderit, in die nostri obitus mutent; similiter autem et pro Frideruna, quondam uxore nostra, que obiit IIII. idus februarii, fideliter ipsa die orent.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Goslinus notarius ad vicem Herivei archiepiscopi summique cancellarii recognovit et sub[scripsit].

Datum V. kl. julii, indictione VII., anno XXVII. regnante Karolo rege glorioso, redintegrante XXII., largiore vero hereditate indepta VII. Actum Heristallo regio palacio. In Dei nomine feliciter. Amen.